

Deinde in linea minorum quære circulū, qui tangit septimum circa *c*, & octauum circa *a*, qui dicitur æquator Ecclipsis Solaris, & est nonus circulus. Spacium autem inter septimum & octauum dicitur tropicus Lunæ ecclipsis Solis. Item posito circino in *g* describo circulum habentem 16 partes, & 20 minuta de linea diuisa in 34 partes, qui erit decimus circulus, & est circulus corporis Solis. Deinde à linea minorum per omnes 34 diuisiones duc lineas. Similiter easdem diuisiones 34, signa in numero & mensura in linea *bg*. Et duc lineas rectas, per illa puncta æquedistanter cadentes super lineam minorū & chordæ rectæ, orthogonaliter super lineam *gb*, sed tantūmodo per spacium tropici usq; ad circulū extremū eius, & dicuntur minuta latitudinis Lunæ. Deinde pone regulā super *g*, ex una parte & ex alia parte, sup quintam uel sextam diuisionem in loco ubi illæ diuisiones seu minuta latitudinis tangunt exteriorem circulum tropici Lunæ, & duc lineam rectam per spacium & marginem septimū circuli, & hoc de singulis. Et intitulabis incipiendo à linea minorū casus ex utraq; parte semicirculi, & utraq; continebit 34 partes. Et in puncto *c* pone filum secundū quantitatem diametri *ac*, & in puncto *g*, similiter secundum quantitatem lineæ *bg*. & utrumq; filum continebit tria Almuri. Postremo inscribas puncta ecclipsis Solis per duas tabulas sequētes isto modo. Intra tabulam primam, quæ intitulatur ad longitudinē longiorē per argumentū Lunæ, & accipe gradus & minuta. Deinde posita regula ex una parte super *g*, & ex alia parte super tot gradus & minuta in argumento Lunæ in spacio exteriori, quot gradus & minuta in tabula inuenisti, & ubi regula sit iacens interfecat interiorē circulū spacij punctōrū, qui etiam uocatur longitudo longior, ibi fac punctū. Deinde intra eandem tabulam, & accipe gradus & minuta in directo duorū punctōrum, & iterum fac punctum in prædicto circulo & c. usq; ad 12. Postea intra secundam tabulā quæ intitulatur ad longitudinē propiorē per argumentū Lunæ, & tot computa gradus & minuta in argumento Lunæ quot in tabula inuenisti & regula iacente super *g* ex una parte, & ex alia parte super numerum in argumentō ubi interfecant circulū exteriorem spacij punctōrū ecclipsis, qui uocatur longitudo propior ibi fac punctum. Deinde iterum intra tabulam, & accipe secundū punctum, & iterum fac punctū in iam prædicto circulo & c. usq; ad 12, semper ab *a* uersus *b* computando. Postea protrahe lineam rectam ad proxima puncta in utroq; circulo prædicto apud *b*. Et inscribe numerum sic quòd in primo spacio, quod est apud *b* uersus *a* cōpræhensio inter lineam transuersalem per spacium ductam, ad duo puncta prænotata duorum circulorū spacij, uidelicet interioris & exterioris, scribe unum in sequenti duo, & in tertio tria, & hoc consequenter usq; ad 12, & hæc sunt puncta Ecclipsis Solis. Et sicut diuisisti quartam *ab*, sic etiam diuide quartā *cb*, puncta inscribēdo per easdem tabulas

tabulas